Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26139
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Cristallus resplendens & aquosus colore traditur quod nix sit
glacie durata per annos unde & nomen ei grece dederunt. Gignitur
autem in asia et cipro maxime in septentrionum alpibus ubi
nec estate sol feruentissimus inuenitur ideoque ipsa diuturna
et annosa duricia reddit. hanc speciem que cristallus dicitur.
hic oppositus radius solis adeo rapit flamam ut aridis fungis
uel foliis ignem prebeat usus eius etiam ad pocula destinatur
nichil autem aliud quam nisi frigidum pati potest. Adamans
indicus lapis paruus et indecorus ferrugineum habens colorem
et splendorem cristalli. nunquam autem ultra magnitudinem nuclei
auellani repertus. hic nulli cedet materie nec ferro quidem
nec igni nec unquam incalescit. unde et nomen interpretatione
greca indomita uis accepit. sed dum sit inuictus ferri ignisque con
temptor hircino rumpitur sanguine recenti et calido. maceratur
sicque multis ictibus ferri perfringitur. Cuius fragmenta sculptores per
gemmis insigniendis perforandisque utuntur. Hic autem dissidet
cum magnete lapide in tantum. ut iuxta positus ferrum non patiatur
abstrahi magneti. aut si admotus magnes comprehenderit
rapiat atque auferat. Fertur quoque in electri similitudine ue
nena deprehendere. metus uanos expellere. maleficis resiste
re artibus genera eius. vi. Galatia grandinum & candorem & figu
ram adamantine duricie habet. etiam in igne positus manere
suum frigus. Ceraunior duorum genera sunt unum quem germania
mittit christallini similem. splendet tamen ceruleo. et si sub diuo
positus fuerit fulgorem rapit sidereum. Ceraunium alium hispania
in lusitanis litoribus gignit cum color piropo rubenti et qua
litas ut ignis. Hec aduersus uim fulgorum opitulari fertur
si credimus. Hec autem ceraunia alibi non inuenitur quam in loco
fulminis ictu proximo. Grece enim fulmen ceraunos dicitur. Iris